

dovicum Regem, quam ad Geroldum Archidiac. Palatii. Inter *Epistolam ad Coloss.* et *Theffalonic.* irrepfit spuria ad *Laodicenses.* I. *Job.* 5. solum testimonium coeleste ita expressum est: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo pater verbum et spiritus sanctus Et bij tres unum sunt.*

XXXVIII.

E. 4. a. Codex membranaceus belg. Sec. XV. Folior. 334. numeratorum, praeviis 9. non numeratis, f. maj. per duas columnas elegantissime perscriptus, magno cum Iconum, tum aliorum ex auro coloribusque ornamentorum adparatu, olim *Eugenii Sabaudici*, institutus vero a Viro quodam ecclesiastico, forsasse Canonico *Leodiensi* aut *Ultrajectino*, cujus Figura adgeniculata B. V. Mariae visitur pag. e numeratis 1. adstante quodam sancto Episcopo, scutoque adjacente, quod constat fasciis octo horizontalibus aureis et rubris alternis, quarum rubrae argento punctatae sunt, Opus *Biblicum* est, cujus indolem dabo. Init ab Elencho Librorum sacrorum, quos continet, per singula Capita. Sunt vero sequentes: *Pentateuchus*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum IV.* *Tobias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Parabola Salomonis*, *Ecclesiastes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, ita tamen, ut intexantur *Esdras* et *Josuephus* de *Cyro* et *Alexandro*, et Librorum Doctrinalium non nisi priora Capita ponantur, ceteris,

ut ait Librarius, *om der cortheit wil* omiffis. Elenchum excipit Praefatio in commendationem s. Scripturae hoc initio: *Onse here god voersiene die grote droetheit van devocien die in sinen volke toecomende was end wesen soude, so aenroept bi ons alle traghe menschen, Ende biedet ons sine gracie bi sinen prophete ysayam. Ende seyt aldus. Gbi alle die dorst hebt, coemt ten watere &c.* Sequuntur *Picturae* duae folii magnitudine, prior aurea tota Deum solum in fede majestatis suae, altera systema Mundi cum Planetis, Sideribus, Zodiacique Signis Angelorum choris circumdatum Deo rursum supra locato exhibet. Tum demum inchoant *Biblia*, et quidem per particulas, quarum singulis commentarius e *Scholastica Petri Comestoris Historia* substratus est. Ita *Genesis*: *In den begin sciep god hemel ende eerde. Mer die eerde was onmit ende ydel &c.* ubi nunc *Dordracena Amst. 1660.* f. legunt: *De aerde nu was woest ende ledigh. Scolastica. In den beginn was woert, ende dat woert waft beginne In den welken ende by den welken die vader die werlt sciepe &c.* Per decursum operis adparet, Libros *Biblicos* in *Elencho* praeteritos hinc inde, ubi *Chronologia* suadebat, saltem particulatim immixtos esse. Libri *Regum* et *Alexandri Historia* Iconibus abundant; ab hac vero, quae *Codicem* terminat, folium saltem unum periisse videtur. In *Jobo* notantur etiam *Lectiones* in *Officio* pro *Mortuis* recitari solitae.

XXXIX.